

praesentis quam futuri aevi hominibus volumus esse notum, quod talentum denariorum Vribergensium annui census, situm sive situatum in civitate nostra Misne sub domo Volfekini aurifabri quodam in cellario, quod quidem devota matrona domina Kyrstina dicta de Shremsenicz a nobis tenet in feodo vitae suae temporibus, ad instantiam Heinrici de Zweme Nysicensis archidiaconi nostri prothonotarii nobis dilecti Misnensi ecclesiae, quam speciali amore ex debito prosequimur, postquam matrona dicta de Shremsniz viam universae carnis ingressa fuerit, proprietatis titulo dedimus sive donavimus possidendum perpetuis temporibus et tenendum. Ne igitur super huiuscemodi appropriatione seu proprietatis donatione cuiquam in posterum ulla valeat ambiguitas suboriri, praesentes nostras litteras desuper confectas praedictae Misnensi ecclesiae dari iussimus sigilli nostri munimine communitas. Huius rei testes sunt nobilis vir Albero buregravius de Lysnik, Thimo Knuth, Heinricus de Trebzin, Heynemannus dapifer de Burne, Vlricus de Maltiz, Conradus de Luppe, Volkmarus de Hayn milites et quam plures alii fide digni. Actum et datum anno domini M^o.CC^o. nonagesimo in civitate nostra Dresden, V^o. Kalendas Augusti.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Reitersiegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

No. 296. 1290. 9. Oct.

Heinrich von Lesnyk verkauft an das Capitel ein Buschholz, das er vom B. zu Naumburg in Lehen hat, in der Nähe von Lösniq.

Ne ea quae fiunt in tempore simul labantur cum tempore, frugi est ipsa scripturarum testimonio perhennare. Ad notitiam igitur omnium tam praesentis quam futuri aevi Christi fidelium ego Heinricus miles dictus de Lesnyk^{a)} pervenire cupiens praesentibus publice recognosco, quod virgultum situm inter Hildebrandesdorf et Szremztnicz^{b)} villas cum omni utilitate ac iure, quo ipsum a venerabili domino meo Nwenburgensi episcopo in feudo tenui, capitulo Misnensis ecclesiae vendidi pro sex marcis argenti bona nec non plena meorum heredum super eo contractu accedente voluntate pariter et consensu, receptis vero sex marcis supratactis mihi pro virgulto praenotato ac meis heredibus integre et solutis. Idem virgultum ego H. de Lesnyk ac heredes mei antedicti domino Cunrado viceplebano in Ztrelle^{c)} ad manus saepedicti venerabilis domini mei Brunonis Nwenburgensis episcopi resignavimus nil mihi ac meis heredibus in iam dicto virgulto ac feudo eiusdem iuris penitus reservando. In cuius rei evidentiam praesentem paginam capitulo Misnensi dedi sigilli mei munimine roboratam. Huius rei testes sunt dominus Petrus de Cice plebanus in Ztrelle^{c)}, dominus Heinricus de Zwem archidiaconus Nysicensis, canonicus Misnensis, dominus Th. de Grvnenrode miles et quam plures alii fide digni. Actum et datum Ztrelle^{c)} anno domini M^o.CC^o.LXXXX^o. VII^o. Idus Octobris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; von dem an einem von der Urkunde selbst abgeschnittenen Pergamentstreifen befestigten Siegel ist nur ein Bruchstück vorhanden.

a) Lösniq bei Mühlberg, nahe der k. sächs. Grenze. b) Hilbersdorf, jetzt wüste Mark, vgl. No. 209; Schirmenitz bei Mühlberg; vgl. No. 44. c) Strehla an der Elbe.